

1. La
2. La
3. La
4. La
5. La
6. La
7. La
8. La
9. La
10. La
11. La
12. La
13. La
14. La
15. La
16. La
17. La
18. La
19. La

1. Lachaux, De superficiat vase in utero duplicei 1755.
2. Lachaux De hernia ventrali 1746.
3. Lavoste, Sur la jaunisse. annoq. 15 paucal.
4. Lallemand, De febre maligna. Top, engyna pangraenaria porata 1766
5. Delattre, De malo hypochondriaco 1738.
6. Lauble De fluxu menstruo 1725.
7. Lauffen De emanatum in variolis necessitate 1752
8. Laurent, De Sturnis 1790
9. Lauth De glandula thyroidea 1742
10. Lauth De analysi urinae & animali phosphores 1781
11. Le Conde De morte naturali 1721
12. Leguillon De partu septimestri 1724.
13. Leites De Arphyxia aquis submersorum 1788.
14. Leiterberger De morte aeternita 1812
15. Leontowytz De part. praeternat ad uitium trufofatu orbi 1746
16. Leriche De caru orideor metastaticae in tumor fibroecto 1758.
17. Leriche Probatiss. calculi verica extrahendi methodum 1759.
18. Lichtenberger De infantum rec. nat. male regimini correcione 1741
19. Lobstein De nervo spinali ad parvum accessorium 1760

1755
i-19

I. N. I.
**DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS**
DE
SUPERFOETATIONE
VERA IN UTERO SIMPLICI.
QUAM
DEO VOLENTE
AUCTORITATE
ORDINIS GRATIOSI MEDICORUM
ALMÆ UNIVERSITATIS ARGENTINENSIS
PRO
SUMMIS IN ARTE ASCLEPIADEA HONO-
RIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CAPESSENDIS
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
AUGUSTINUS MEINRADUS
LACHAUSSE
BRUNTRUTANUS - RAURACUS
AD D. XII. APRIL. A. O. R. MDCCCLV.

ARGENTORATI,
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancellariæ Typographi.

DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS,
FAUTORIBUS,
ATQUE
AMICIS.





§. 1.

Generationem facultatem esse mirabiliter in nativitate jam organisatam, in pubertate vero perfectam, cuilibet & singulo mortalium concessam, sibi similem creaturam generandi, à supremo conditore, humani generis conservandi ratione, quis hominum negare poterit. Cum nimirum primas Creaturas existentes immortalitate non donare, & tamen munus ad tempus usque notatum conservare placuerit Enti divino, oportebat ergo illud, brevem (qui accidisset) mundi finem modo alio impedire; idcirco facultas illa hominibus data, opus tam mirum, tam nobile, quoad finem & effectus suos est, ut à longævo plurimi philosophi doctissimique anatomici causas hujus mechanismi divini primarias & agentes studiis longissimis ratiociniisque subtilissimis detegere incassum ferè contenderint. Convenit jam modo generationis & partus notionem indagare; generationem stricte sic dictam quæ marito, & conceptum qui mulieri competit distingui.

§. 2.

Viri partes ad hæc redeunt. (*conf. Dissert. excell. Ex experient. Dni. Doct. GRAVEL. de superf. §. 3. Ex seq.*)

A 2

Ex aortæ descendenteris parte antica paulo infra emulgentes arterias excurrent duæ arteriæ minores *spermatica* dictæ, quarum utraque ad latus ejusdem nominis venæ duobus nervis ex partium lumbarium sobole, & plexu renali ortum trahentibus stipata, cremastere munita, annulum musculi obliquè descendenteris penetrat, & vicino sibi testiculo distribuitur. *Testiculus* (glandulam dicas, sive corpus vasculosum tantundem est) ex innumeris canaliculis albicantibus subtilissimis tenui membrana inter se nexit constat, qui in corpore axin quandam referente (*bigmori corpus* appellant) convenientes sensimque in majores capacitate, pauciores numero canales collecti ad alteram testiculi extremitatem & summitatem uniti *epididymidem* constituant: hæc laxiori nexu cum testiculo eidem in arcu ferè formam incumbens, desinit tandem in canalem, *vas deferens* salutatum, majoris crassitie quam est cavitatis ejus diameter, qui eadem via, qua egressa spermatica arteria abdominis petit cavitatem, ubi reliqua vase deferit, & per flexuram, arcum referentem in vesiculos seminales terminatur, hac lege, ut preter septum quod *vas deferens* cum alterius lateris vesicula format, faciat quoque cum ejusdem lateris vesiculae extremitate duplicaturam quandam peculiarem in valvulae semilunaris modum, quæ liquoris ex vase in vesiculam introitum permittit, redditum in vas impedit. *Vesicula seminales* ipsæ sunt duo corpora oblonga, albicantia inter vesicæ partem inferiorem & intestinum rectum sita, quorum extremitates superiores longius à se distant, inferiores vero uniuntur sub tenui membrana continentia plures vesiculos inter se invicem communicantes, ut & glandulas, evacuant hæ vesiculae liquorum suum in urethram uno, duobus ut plurimum, rarius tribus orificiis perforantibus, carunculam *caput gallinaginis* seu *verumontanum* nominatam.

Sequitur *prostata* glandula illa magna cordiformis ante vesiculos feminales inter collum vesicæ, & bulbum urethræ sita, substantia spongiosa compactioris, quæ liquidum secretum per foraminula ad latus utrumque verumtani conspicua evomit. Paulo infra hanc sub ipsis musculis acceleratoribus ad exortum corporis spongiosi urethræ latent adhuc aliæ glandulæ dueæ *antiprostatæ* (*vid. VINSLOV. §. 555.* alias vocantur glandulæ COWPERI) dictæ pari ac prostata artificio constructæ, simile quoque liquidum per sibi vicinas lacunas majores urethræ cavo infundentes. *Colis* ipse ex corporibus cavernosis & urethra constat. *Corpora cavernosa*, à quibusdam *ischio cavernoso* dicta, ab osse ischio & pubis in uno quoque latere oriuntur, unita mox unum corpus constituunt, & sub finem parum graciliscentia sub parte superiore glandis penis terminantur. Structura gaudent cellulosa, cryptis nempe & cavernulis validissima membrana inter se distinctis, quæ tamen non impedit, quo minus inter se communicent. *Urethra* à collo vesicæ incipit sola *prostata* primum tecta, tum spongiosam adsciscit substantiam, quam *urethra* *bulbus* vocant, hæc crassa ab initio mox tenuior facta cum ad finem corporum *ischio cavernosorum* pervenit rursus inflatur, dicta corpora ambit, & sic glandem penis efficit, parum hæc differt à structura corporum cavernosorum, nisi quod sola epidermide tecta obniveas papillulas ibi denudatas sedem voluptatis constitutat. Mentalæ sic constructæ sanguinem advehunt arteriæ ex hypogastricis iliacis internis & cruralibus ortæ, quarum primariae sub arteriæ *pudendæ* internæ nomine notæ sunt, revehit eundem *vena* in dorso penis decurrens, fereque in hypogastricam insinuans. Nervos paria lumbaria & sacra copiosos subministrant. *Musculi* hic numerantur decem (*vid. VINSLOV. §. 567.*) nempe *erectores* duo seu *ischio cavernosi*, ab osse ischio ad vi-

cinum corporis cavernosi cruris tendentes. *Acceleratores* duo seu *bulbo-cavernosi*, à bulbo urethrae tendine intermedio assurgentes, & eidem cruri vicino dictorum corporum sese inferentes. *Transversales* duo seu *triangulares* per unam extremitatem ossi ischio adnati, dum altera ligamentum ossium pubis ad apicem *prostatæ* usque ambient. Musculi *Prostatici* quatuor, superiores duo, ab osse pubis ad *prostatam*, inferiores duo à symphyse ossis pubis cum ischio ad eandem vergentes. Reliqua ad generationem propria silentio premo, quoniam hæc minus scopo meo inserviunt.

§. 4.

Modo recensitarum partium usum hunc esse dicunt physiologi; sanguis arteriosus purus eo defæcatior, quo minoris diametri vasculum intrat, parvam *arteriam spermaticam* replet, tum in particulari *testiculi* structura minima quantum segregatus, attenuatus spiritibusque nervis turgidus liquor abit in majora vascula, *Epididymidem* & vi *Cremasteris* in *vas deferens* ac *vesiculas semifinales*, ubi moratur, paulum spissescit, & forsitan, si nulla detur excretio, in massam sanguineam rursus reforbetur. Posito nunc, quacunque de causa liquidum nerveum influere magis in *musculos erectores*, seu *ischio cavernosos*; tunc comprimuntur radices corporis cavernosi inque ejus venas accumulatur sanguis, attollitur colis, venamque magnam arcte ossibus pubis apprimit, sic penis riget, rubet, erigitur; nervi in *glande* convelluntur, in consensum trahunt reliquos, qui ingrediuntur membranas vesicularum seminalium, *prostatam*, (cuius hic quoque musculi agunt) *antiprostatas*, ut contentum liquidum reddere, tunc miscutum cum *prostatarum*, liquore semen, per dilatatam ope *transversalium muscularum urethram*, adjuvantibus *acceleratoribus*, & durante nervorum glandis convulsione, magna vi ejaculatur.

§. 5.

Mulieris genitales partes principaliores illustraturo primum fese offert, inter vesicam urinariam & intestinum rectum, corpus quoddam triangulare cavum, cui uteri nomen imposuerunt, hujus trianguli basis quæ posteriora & superiora spectat fundum, apicem qui ad inferiora & anteriora vergit collum, seu cervicem nuncupant, anguli ad basin quisque exiguo perforatur foraminulo *tubæ fallopianæ* propinquæ respondentि, angulus ad apicem majore gaudet apertura, ut plurimum transversali, quam *orificium uteri* salutant. Structura ejus est spongiosa innumeris arteriis, venis, nervis, vasis lymphaticis intertexta, & majorem crassitudinem in fundo, quam in lateribus exhibet. Interna cavitas triangularis ibidem conspicitur, cingitur membrana tenui, sat plana & æquali in fundo rugosiore, versus orificium foraminulis plurimis pertusa, sanguinem prepresso utero fundentibus; latera uteri, quo magis orificium accedunt, distinguuntur linea quadam eminente longitudinali, cui transversales lineæ aliæ occurront; hoc in interstitio reperiuntur parvæ lacunulæ humorem exsudantes mucilaginosum *orificium uteri* obturantem. Sic constructus uterus tegitur portione *peritonaei*, quæ ad latera ejus usque ad pelvem expanditur, & ligamenta ejusdem lata, seu alas *vespertilionum* constituit, quibus tum *Tubæ Fallopianæ*, tum ovaria includuntur. *Tubæ Fallopianæ* exigua cavitate, vix fetam admittente, ab uteri angulis ad basin incipiunt, sensimque aucta capacitate desinunt in laciniis, *fimbrias* vocant, numero & longitudine inter se diversas, quarum longissima ovario necitur, reliqua liberæ fluctuant, constantque fibris carnis longitudinalibus, & oblique circularibus, & obtenguntur interior membrana molli, quasi glandulosa, quæ continuo ichore madefacta partes a concretione impedit. *Ovaria* sunt duo corpora albicantia plana oblonga, sub textura compactiore spongiosa vesiculos claras rotundas inclu-

incidentia, quas *ova* vocant. Hæc spongiosa textura circumdat unum quodque ovulum, eidemque calicis spongiosi speciem addit. *Vagina* tandem *orificium uteri* ambit, ut duodenum pylorum, & ad anteriora usque ad pudenda externa progredivit. Structura ejus est spongiosa multis vasibus irrigua, & obtegitur interne membrana rugosa, per quam glandulae ibidem positæ, peculiarem lubricandis partibus destinatum humorem exfudant.

§. 6.

In oestro igitur venereo constitutæ mulieris nervi convelluntur, partes fiunt rigidæ, os uteri aperitur, replentur semine masculino tum uterus, tum tubæ, (*Conf. RUY SCH adv. Anat. D. I. p. 2. &c sgg*) quæ & ipsæ rigidæ *fimbrias* arcte *ovariis* applicant. Hinc *ovulum* maturum leviter ob magnitudinem & maturitatem suam pedunculo adhærens, vel propria, vel oestri venerei concussione, vel etiam hoc applicatarum *tubarum*, per *fimbrias* suas, musculari pressione, sede sua avulsum in dictas fertur *tubas*, quæ propriarum fibrarum motu super lubricam internam membranam ovulum tandem ad ipsum uteri cavum deducunt. Quocunque igitur in loco semen proliferum *ovulo* occurrit, sive sit in *ovario*, sive in *tubis*, sive in ipso *utero*, ibi fit *imprægnatio*.

§. 7.

Nunc obscuriore incedendum via, & duæ circa ovuli *imprægnationem* opiniones, ob earum cum themate nostro relationem, enarrandæ veniunt. Plerique physiologi rudimenta omnia futuri foetus in ovulo jam plenarie & perfecte delineata affirmant, & nihil aliud in ejusdem *imprægnatione* contingere, quam quod principium motus *intrinsecum* ipsi a semine masculino deferatur, omnesque ab eodem semine horum rudimentorum partes expandantur

dantur , & in omnes dimensiones explicitentur , adeoque semen omnium motuum animalium naturalium vitaliumque causa sit immediata afferunt , & ut paucis dicam , semen maris *ovulo* characterem vitalem imprimit . Notandum tamen est hujus opinionis affectas substantiam ipsam feminalem virtute *ovulum* imprægnandi præditam nullo modo constitutere , sed solis feminis partibus subtilissimis & spirituosis , melius sub nomine *aura seminalis* vel *genitalis* cognitis , sua virtute activa ovulum fæcundandi licentiam deferre .

§. 8.

Secunda hypothesis juxta celeberrimum LOEWENHEKIUM , aliosque recentiores his nititur fulcris . Ope subtilissimi microscopii animalcula spermatica viva , in semine maris contenta , detexisse affirmant . Semen ergo masculinum dictis animalculis scatens , magna vi , magno calore , ingentique copia spirituum animalium incitatum , tempore coitus , violento impetu , in *vaginam uteri* , imo in ipsam ejus cavitatem immittitur ; quippe tunc temporis *orificio* hujus organi patente liberrimus conceditur semini introitus ; *uterus* in hoc actu turgens , in motuque constitutus calefcit , & levi quasi inflammatione afficitur ; mox papillis nervosis , in jugis rugosis *vaginae uteri* , attritu membra virilis titillatis , oritur convulsiva uteri constrictio ; semen adeoque hac constrictione retentum , antea jam agitatum , calefactum , *ovo* occurrens , parte vivaci incredibiliter parva , intrat per dilatatos tum poros glandulosæ factæ *ovi* membranulæ , ibique retinetur animalculum , sustinetur , foveatur , nutritur , umbilico suo accrescit , reliquaque minus viva animalcula suffocantur , sicque conceptus factus est . (vid . BOERH . *Inst . Med . C . de Concept .* § . 673 .)

§. 9.

Utra autem hypothesis de generatione assumatur ad quæstionem de superfœtatione parum aut nihil interest .

B

Cate-

Cæterum quia posterior potioribus rationum momentis niti videtur, ipsique potissimum recentiores inhærent, eadem mihi quoque liceat amplecti alioqui parato sequi meliora docentem.

§. 10.

Prælibatis his itaque, quæ sequentibus illustrandis inservire possunt ad superfoetationem progredimur, eamque in *fictam*, *falsam*, *impropriam*, & *veram* seu *exquisitam* dispeſcimus.

§. 11.

Fictam eam adpello, quando in conceptu gemellorum partus primus aliquot horarum vel etiam dierum spatio secundum antecedit. *Falsa* erit illa, dum foetus unus in utero, alter in alterutra tubarum fallopianarum (ut *Dnus VASAL. refert.*) concipitur. *Impropria* vocabitur, que fit in utero duplici, vel septo quodam intermedio separato. (ut *Dnus. DIONYSIUS* exemplum citat) *Veræ* tandem & *exquisite* superfoetationis idea erit, quæ oritur in utero simplici. Talis est nostra, cuius non solum possibilitatem sed & realitatem stabiliter experientia; meum vero erit, modos diversos in quibus locum habere potest, explicare. Dixi primo experientiam hanc sufficiere causam; sequens observatio sufficenter docebit.

§. 12.

Hæcce observatio à celeberrimo *Dno. LERICHE* nosocomii regii argentinensis chirurgo primario facta, excellentissimo *Dno. EISENMANNO* in universitate argendoratensi Anatomie & Chirurgiae Professori publico ordinario celeberrimo patrono & præceptorи summe collendo communicata, & ab ipso in tabulis anatomicis uteri duplicitis observationem rariorem fistentibus his verbis exposita est.

§. 13.

Maria Anna Bigaud , triginta septem annos nata , Edmundo Vivier , ægrorum famulo in nosocomio militari , quod Argentinæ est , nupta die trigesima mensis aprilis anni milesimi septingentesimi quadragesimi octavi hora decima matutina puerum viventem maturum enixa est , adeo prompte & feliciter puerperium hocce succedebat , ut post horam a lecto surgeret , atque puerum suum exportans domo obstetricis , ubi partus labores superaverat , ejus ulnis suffulta egrederetur domicilium suum , quod in prædicto nosocomio obtinebat , repetitura . Lochia mox à partu substiterunt , quod eo magis mirabatur , quod in duobus primis , quæ hocce præcesserant , puerperiis lochia copiosa fluxerint . Vix elapsò quadrante horæ a partu , motum in utero sensit , ejusque obstetricem certiorem redidit , existimans novum adhuc instare partum ; hæc illam quieto animo esse jubet , motum interim , uti prægnantes , in utero percipiebat . Mammæ licet magnæ a natura nullam molestiam creabant , nec lacte turgescebant , ita ut quindecim post dies puerum nutrici conductitiæ tradere coacta fuerit . Ciborum fastidium , nausea , verbo eadem signa , quæ gestationis tempore percipiebat , phenomenis modo allegatis juncta animum agebant anxium , ipsamque de imprægnatione certiorem faciebant . Hæc omnia mihi aperuit , atque suspiciones bene stabilitas existimans , animi tranquillitatem ipsi inducere , pro virili annis sum ; sanitas ejus labefactata anxiis inquietudinibus maximam partem debebat , verum hanc dein meliorem cum animi

tranquillitate recepit, tandem animadvertisens abdominis tumorem magis magisque increcentem, tactum viri experientissimi hujus civitatis arti obstetriciæ dediti admisit, qui ipsam à multis mensibus prægnantem judicavit, decimo septimo mensis septembbris anni prædicti hora quinta matutina peperit filiam ex membrorum conformatione, & corporis magnitudine maturam judicatam. Lochia in ultimo hocce puerperio copiosa, mammæque sufficientem pro lactatione album suppeditarunt rorem; puera hæc, completis duobus post primum ætatis annum diebus, sub dentitione denata est, cum puer post duos ætatis suæ menses cum dimidio ad plures abierit; huncce & ipsius sororem non longe a nativitate vidi, ille nec tam magnus erat, nec adeo torosus, utpote ob patris inopiam negligenter habitus, quam hæc, quæ matris ubera fugens torofa erat & obesula. Ex hac historia colligere est, quod mulier hæcce eo, quo peperit puerum, tempore medium gestationis filiæ tempus egerit, nam ratione subducta ab ultimo aprilis usque ad decimum sextum diem septembbris quatuor menses cum dimidio elapsi numerantur. Persuasum mihi habeo, nullam superfœtationem hacce certiorem unquam fuisse. Addo prædictam mulierem partui nunc proximam ab ultimo hocce puerperio peperisse semel. dab. Argent. die 20. Martii Anni 1752.

§. 14.

Notanda venit summa utriusque partus differentia sicut & uteri structura.

1^o. Mu-

- 1°. Mulier ab hujus superfoetationis tempore tribus absolutis annis morbo acuto interempta est. Post mortem *Dmns. LERICHE* uterum ex cadavere ablatum dissecuit, & simplicem omnimode inventum in spiritu vini adhucdum fervat.
- 2°. In anteriori partu nulla adfuit jactura sanguinis, nulla que fluxere lochia. In secundo vero majorem sanguinis deperditionem tam in ipso partu, quam per lochia, diutius uberiorque fluentia, experta est haec mulier.
- 3°. Nulla lactis secrecio in priori ab *arteriis mammariis* ad puerum lactandum facta; in posteriori vero uberrimus ex mammis effluxit liquor albus. Genuinam hujus differentiae rationem non inveniemus, nisi sanguinem illum per lochia nec effluentem, nec ad mammas pro secretione delatum, in foetus adhucdum in utero remanentis, nutritionem ampliorem naturam retinuisse, dicamus.

§. 15.

Jam vero dum quærebatur, an detur superfœtatio, quæstio haec semper maxime in controversia posita erat. Quippe multi eandem pro casu impossibili adspexerunt, ut GERMANUS BLASUIS. *in not. ad Vestling. Synt. Anat. C. 1. pag. 102.* JOANN. VALVERDA. *anatom. libr. 3. C. 14. Dmns. LITTR. p. 385. &c seq.* plures possibilitatem ejus affirmarunt, & inter hosce numerantur antiqui & recentiores. HIPPOCRAT. *lib. de de superfœt. item de Dieta.* ARISTOTELES *de Gener. Anim. lib. 4. C. 5.* &c. EBN. ROSCHDIUS *lib. 4. de Gener. anim. Cap. 7.* SEBIZIUS *spec. med. pract. p. 5. C. 1.* FERNELIUS *physiol. lib. 7. Cap. 12.* PAREUS *lib. 13. Cap. 52.* ROD. A CASTRO *de Nat. mulier. lib. 3. Cap. 13.* PAUL. VEGEL. *dissert. de superfœt.* Hos autores, ne nimis accumulem retulisse sufficiat.

§. 16.

Inter allatos superfœtationem negantes, melioribus apparenter instructus rationibus, eminet citatus ultimo

LITTRIUS, qui tribus argumentis impossibilitatem secundæ imprægnationis sufficienter stabiliſe existimat. Ego vero eadem auctoris argumenta refutando, modos diversos, in quibus secundus conceptus fieri possit, evolvam, argumenta autem littrii ſic fonant.

§. 17.

1.m Superfœtatio eſt impossibilis, ſi ſemen virile in *uterum* poſt conceptum unum factum intrare nequit.

Atqui. Statim poſt imprægnationem factam *uterus*, ſeſe conſtringendo ita clauditur, ut nec ſpiculum acus (*vid. HIPPOCR. 5. aphor.*) introduci valeat, ergo nec ſemen virile.

2.m Extremitas *colli uterini*, adeoque iſpum *orificium uteri* in gravidis magis retrovertitur versus intestinum rectum, & ita ut *orificium uteri* non amplius directè à regione *orificii vaginae* ponatur, quem tamen ſitum directum ante conceptum habebat. Ergo ſitus talis impedimento eſt, quo minus *orificium uterinum* ſemen virile recipere queat.

3.m Quamvis ſemini virili ingressu in *uterum* jam gravidum pateret liber, non poſset tamen per alterutram *tubarum ad ovarium* uſque attingere: quippe placenta foetus fundo uteri arcte ſeſe applicans, eique adhaerens, orificia *tubarum* obtegit, & quidem adeo, ut nihil earum cavum ingredi valeat.

§. 18.

Ut ordine procedamus, argumentum primum Littrii resumere, & everttere oportet.

1. Respondebimus ergo, ſi in *uteri orificium* ſemini masculino introitus non denegaretur, superfœtatio non foret impossibilis juxta illum.

Atqui Introitus patet variis modis, nam

2. Non adeo clauditur ſemper orificium uteri, ut evincere conatur LITTRIUS, (*vid. LAMOTTE* *dissert. de Gener. & superfæt. Cap. 1. pag. 24. & Cap. 2. observ. 1. & seqq. pag. 56.* qui *orificium uterinum* internum puellæ, à ſeptem hebdomadum ſpatio gravidæ, ita apertum inveniſſe afferit, ut digitum in cavum *uteri* absque difficultate introducere potuerit) *Conf. dissert. de Superfæt.* WILHELMII

HELMI HULDER. pag. 12. ubi cum medicorum príncipe affirmat, illas mulieres superfoetare posse, in quibus *uteri* cs non ita valde clauditur post primum conceptum.

Mulieres menstruatas imprægnari posse confirmant, ob apertum tunc temporis uterum, JOANN. SINIB. *Geneanthrop.* lib. 8. Cap. 3. ALSAHARAV. lib. pract. tract. 25. C. 23. AVICEN. lib. 3. Objicit hic forte quis sanguinem menstrua constituentem minus ex ipsa *uteri* cavitate, quam ex *vagina* exsudare, cui responderi potest, equidem fieri posse, si sanguis copiosior ad hasce defertur partes, sed pari ratione deferri etiam potest ad ipsum *uterum*, vel faltem ad vasa uterina placentæ non communicantia. vid. LAMOTTE *dissert. de superf.* & *Gener.* C. 2. p. 61. & seqq. itemque C. 3. p. 101. experientissimus hic author menstrua à vasis ipsius *uteri* mulierum, præcipue sanguinei temperamenti, provenire nullus dubitat.

Uterum magis magisque aperiri tempore magis, quo gravis nonum accedit mensem, & hac ratione, foetus fortior & major evadens proprio pondere modo insensibili *uteri orificio* dilatat, dilatando aperit. Experienciam enim constat gravidas unius, duorum, trium mensium, adeoque majori ratione quatuor cum dimidio, ut nostra observatio indicat, os uteri non penitus clausum habuisse. Superfoetationes quoque, breviori temporis spatio, quam nostra, factæ hoc quoque ponderis alicujus esse possunt. Plures recenset HALLERUS *not. in proel.* BOEEHR p. 549. Tribus septimanis à priori partum refert. ROUSSET 5. 6. quatuor septimanis. FRANCUS *satyr.* 13. pag. 229. quadraginta diebus à puella fana filium sanum. BAUHINUS *append. ad Ronff* pag. 222 tribus mensibus secundum à priori partum. WALDSCHMID *progr. de valet. med.* plureque alii quorum numerum adaugere non volumus.

§. 19.

Ex hisce allegatis diverorum temporum partibus sane concludere possumus, si in primis graviditatis temporibus os *uteri* erat apertum, multo magis quarto cum dimidio mense non est clausum. Extre-

2.m. Extremitatem colli *uterini* adeoque ipsum orificium
argum. *uteri* in gravidis magis retroverti versus intestinum re-
ctum non denegabimus, sed *Dmus.* LITTRIUS certo
nec ad naturam, nec ad structuram horum organorum
attendit, constat enim anatome, partes illas mediante mem-
brana musculosa contrahere sese, & relaxare posse. *Confer.*
SINIB. *Geneanthrop.* lib. 8. c 3 ubi statuit tempore coitus
ratione fervide temperiei mulierum *uterum*, adeoque ip-
sum os *uterinum* quasi in furorem actum aperiri, & exinde
semen masculinum facile in ejus cavitatem intrare posse.

3.m. Dicit opinionis nostræ adversarius, quamvis semini
argum. virili ingressus in *uterum* jam gravidum pateret, non pos-
set tamen per alterutram *tubam fallopiam* ad *ovarium* us-
que attingere, quia placenta foetus fundo *uteri* sese applicans,
eique adhærens orificia *tubarum* tegit, adeo ut ni-
hil earum cavum ingredi queat.

1°. Falsum est ultimum hocce argumentum. Nam et-
iam si verum id foret, placenta capacitate sua, & volumine
minori utramque tamen *tubam* obtegere non posset.

2°. Admodum false supponit placentam fundo *uteri* semper
concrescere, & adhærere, quippe enim experientia quotidiana
falsitatem hujus argumenti clare demonstrat, commu-
niter enim videmus placentam, vel ad partem superiorem,
vel inferiorem fundi *uterini*, oblique imo & lateraliter *utero*
applicari, quin & sèpius orificio ipsius *uteri* concrescere.

§. 20.

Ex allegatis modo omnibus rationibus, æquè ac simpliciter
concludere audemus, veram seu exquisitam superficationem
possibilem esse, quando.

1mo. *Uteri* os post conceptum primum factum non ita bene
clauditur.

2do. Dum foetus trimestris, quadrimestris fortior & robustior
proprio pondere membranas orificii *uterini* tenuiores dilatat, &

3to. Pariter possibilitatem adesse, cum mulier jam imprægnata
novum veneris subit actum, si dummodo ad hunc sit propensior.

4to. Menstruis ex vasis ipsis uterinis provenientibus molestata
mulier, aperto tunc temporis *uteri* orificio secundariè impræ-
gnari potest.

F I N I S.

ULB Halle

004 592 964

3



Mär 1 + 12



1755
i-19

I. N. I.
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
**SUPERFOETATIONE
VERA IN UTERO SIMPLICI.**
QUAM
DEO VOLENTE
AUTORITATE
ORDINIS GRATIOSI MEDICORUM
ALMÆ UNIVERSITATIS ARGENTINENSIS
PRO
SUMMIS IN ARTE ASCLEPIADEA HONO-
RIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CAPESSENDIS
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
**AUGUSTINUS MEINRADUS
LACHAUSSE**
BRUNTRUTANUS - RAURACUS
AD D. XII. APRIL. A. O. R. MDCCCLV.
ARGENTORATI,
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancellariæ Typographi.